Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614621-p0001-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614621-p0002-9

Q. D. B. V.

Disputatio Juridica,

De

TUTELIS

tàm constituendis quàm finiendis

Quam

Autoritate & Permissu Magnifici

JCtorum Ordinis

In Almâ ad Albim

Sub Præsidiô.

Viri Nobilis Consultissimi atq; Excellentissimi

DN. SAMUELIS RITTERI,

JU. D. & Professoris publici celeberrimi Curiæ

Electoralis, Scabinatûs & inclutæ facultatis Juridicæ

Adsessoris gravissimi

Præceptoris atque Patroni summisso Observantiæ

Cultu ætatem devenerandi

publicè sistit examinandam

GODOFREDUS FERSIUS, Sil.

AUTOR.

In Auditorio JCtorum

ad d. XXXI. Aug.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

Anno 1653.

1326.

1653 16

16

43.

1327.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614621-p0004-0

1328.

QVandoquidem omne Jus, quô utimur, aut ad personas pertinet, aut ad res aut ad actiones, & parùm videtur Jus nôsse, si personæ, quarum causâ id constitutum est, ignorentur, docente Imp. Sacrat. *in §. 12. Inst. de Jur. nat. gent. & civ.* permoti nos tàm utilitate, quàm Jucunditate materiæ hujus, quid ex illâ desumere & pertractare constituimus. Verùm cùm variè discrepent inter se personæ, & aliter considerentur Jure naturali, aliter Jure gentium, aliter civili, itemque Jure civili vel sui Juris esse dicantur, vel alienæ subjectæ potestati, & rursus potestas vel patria audiat, vel dominica, vel Tutoria, nobis hâc vice sedet de postremâ, de Tutelis nimirùm constituendis & finiendis quid in medium afferre. Sit igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi! *Prælo-quium.*

POSIT. I.

Inquirendum antè omnia quôvis in discursu in definitionem, priùs tamen necessum *Consideratio Vocis.*

1389.

cessum est constet de vocis vi atque significatu.

Præmitti & rectè quidem consvevit definitio, fundamentum omnis disceptationis; at si terminos & vim vocabuli ignores, vix accuratè de re voce signatâ disseres, quamobrem prius Originem vocabuli Tutelæ indagabimus, atque ejus significationem ambiguitatemque præmittemus, quod posteaquàm præstiterimus definitionem realem subjuncturi sumus omnimodò.

Descendit verò vox Tutelæ â verbô tueor quod Tutori incumbat præprimis tueri pupillum, qui ob imbecillitatem ætatis seipse tueri atque defendere non valet, & Tutores vocantur quasi Tuitores ut Imp. innuit § 2. *Inst. de Tutel.*

Aliis quoque interdùm verbis efferri gaudet vox Tutelæ. Nonnunquàm enim vocari solet Tuitio, dicitur caussa tutelaris Ulpiano *l. 4 pr. ff. de in lit. jur. &c.*

Ambiguitas verò Vocabuli in Jure deprehenditur maxima adeò, ut quamlibet ferè defensionem atque Tuitionem notet. Sic Tutela dicitur corporis, cujus ope vim atque injuriam propulsamus *l. 3 ff. de Just. & Jur.* Ædificiorum quoque dicitur Tutela designatque eorum Curam & refectionem *l. 7 §. fin. ff. solut. matrim. quom. dos pet.* & alibi aliter.

Nobis vocabulum Tutelæ hîc specialiter accipitur pro eâ defensione, quam Tutor pupillo præstare tenetur.

Definitio. II. Est itaque Tutela vis ac potestas in Capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem seipse defendere nequit Jure civili data & permissa.

Definitio hæc Servii JCti est, & habetur §. 1. *Inst. de Tutel. l. 1. princ. ff. de Tut.* Genus ponitur vis ac potestas quod, licet alii legere malint Jus ac potestas quasi Jure constituta sive justa potestas,

1330.

testas, quamque accipiunt pro sequelâ quâdam patriæ potestatis, inter quos est *Treutl. disp. select. vol. II. VIII. 1. Lit. B.* nos probamus & retinemus amplexantes constantem & receptam Lectionem, tùm propter §. 2. *eod.* ubi dicitur: eam vim ac potestatem &c. tùm quia hæ duæ Voces alias in Jure nostrô conjungi amant, ut in *l. 1. §. 1. ff. de noxal. action. l. 7. C. de Codicil.* & in aliis textibus.

Vis verô intelligitur hîc non violenta aut imperiosa; sed amicabilis potestas, quâ tùm à patriâ tùm â dominicâ discrepat Tutoria, quia nemo Tutorem accipit, nisi qui liber est & sui Juris *l. 6. §. ult. ff. l. 14. princ. ff. de Tut.*

Vitiosa tamen ob id neutiquàm censeri debet definitio, quod duplex quasi genus habere videatur. Synonyma enim sunt vis ac potestas, & unum hîc explicatur per alterum, qualia definitionem rectissimè ingredi, nec ullô modô vitiare solent. Sic dicitur Justitia constans & perpetua voluntas *princ. Inst. de Just. & Jur. l. 1. ff. eod.* In capite autem libero hanc vim ac potestatem exercent Tutores. Ad Caput liberum requiruntur duo, ut sit liber & sui Juris pupillus, ut modô diximus. Tutor enim non datur ei, qui alienæ manui vel potestati sive patriæ, sive dominicæ est subjectus; sed impuberibus qui sui Juris sunt *§. 1. Inst. de tut.*

Dubitatio tamen quædam enascitur ex his verbis: in capite libero. Si enim sermo hîc de pupillô fuit, dixisse Imperatorem necesse fuerat, quod tutela vis ac potestas sit in caput liberum, pupillum videlicet, efflagitante id latini sermonis ratione. Verùm respondemus veteres sæpiùs usos fuisse Ablativô pro Accusativô & vice versâ veluti etiam hîc Loci est factitatum. Sic dicitur: in Hostium potestate pervenire *l. 12. ff. qui Test. fac. poss.* in domô inferre *l. 32. ff. de liber. Caus.* Vice versâ Accusativus etiam pro Ablativô usurpatur. Sic dicitur: esse in Judicium *l. 20. §. 5 ff. qui Testam. fac. poss.* in pubertatem defunctus *l. 2. §. 6. ff. de vulg. & pupill. substit.* Fusius id exequitur *Excell. Dn. Ungepauer. Exerc. Justin. IV. quæst. 1.* qui videri potest. Nec tamen negamus, hæc verba: in capite

1332.

liberò, etiam suò modò ad Tutorem posse referri, quia & is necessariò debet esse liber. Servus enim perpetuò, ut ab omnibus civilibus muneribus, ita etiam ab Officiò excluditur Tutelæ *§. 1. Instit. qui Testam. fac. poss. l. 22. ff. de Tutel.*

Hæc verba: ad tuendum eum, Effectum denotant, & à JCtò hîc adjiciuntur ad differentiam Curatoriæ potestatis. Tutores enim principaliter dantur personæ, secundariò bonis *l. 1. ff. de legit. Tut.* Curator verò datur principaliter rebus & negotiis *princ. Inst. de Curator.* personis minorum per Consequentiam prospicit *l. 6. §. ult. ff. de Tut.* Ex his denique verbis Jure civili data ac permissa videri potest Tutelam esse Juris civilis, licet fundamentum ejus in Jure naturali consistat.

Datur legitima à Lege agnatis proximioribus.

Permittuntur dari à lege testamentaria *§. 3. Inst. de Tut.* & dativa: *tot. t. Inst. de Attil. Tut.*

Divisio. III. Estque vel testamentaria vel legitima, vel dativa.

Divisio hæc trimembris est. Dispescitur enim in testamentariam legitimam & dativam. *l. 52. C. de Episc. & Cler. l. 7. ff. rem pup. salv. fore.* Nonnulli quartam speciem atque quintam enumeratis adjungunt; anomalam scil. seu extraordinariam & quasi testamentariam, verùm perperàm. Quarta enim anomala dicta quæ Matri & Aviæ adsignatur ad legitimam recte refertur *l. penult. Cod. in quib. caus. pign. tac. contr.* Quinta quasi testamentaria, quâ Tutor Testamento datus inutiliter à Magistratu confirmandus fuit, novam speciem non constituit.

Testamentaria. IV. Testamentaria Tutela est, quando Pater Liberis suis impuberibus, quos in potestate habet, Testamento Tutores constituit.

Prima

Prima species Tutelarum est testamentaria, quæ merito primum sibi vendicat locum, quia quamdiù hæc speratur legitima cessat §. 11. ff. de test. tut.

Tutores Testamento constituunt Pater atque Avus paternus, qui Liberos in potestate habent. Tutoris enim datio à potestate patriâ propendet §. 3. Inst. de Tut. l. 40 ff. de administr. & peric. Tut. & Cur. Ex hôc elicitur Matri non esse concessam Tutelæ dationem, quia Liberos in potestate non habet, nisi eos simul Heredes instituerit, tunc convalidatur inquisitione Magistratûs l. 4. ff. de test. tut. l. 2. ff. de confirm. Tut. & Cur. l. 4. C. de test. tutel.

Id tamen lubentes largimur etiam nonnunquâm absque institutione ejusmodi tutelæ dationem confirmari atque approbari à Judice, quia optimè velle Liberis præsumuntur, in Judicis tamen arbitriô & diligenti inquisitione acquiescendum. dict. l. 4. C. de testam. tut. vid. Schneidvv. ad §. 3. Inst. de Tut. Quid quod nec ipse Pater Liberis si fuerint Emancipatione à patriâ potestate exempti regulariter Tutorem Testamento dare possit §. fin. Inst. de tut. Verum relaxatum hoc est, & Emancipatione non obstante, si datus fuerit, haud rejicietur, sed à Magistratu confirmabitur omnimodo id est sine inquisitione §. dict. fin. Inst. de tut. l. 1. §. 2. ff. de confirmand. Tut. Tantumque Magistratus inquiret, an hæc fuerit voluntas Patris, ut iste Testamento nuncupatus filio emancipato præficeretur Tutor l. 8. ff. de confirm. Tut. rationem hujus nostri adserti statuimus illam, quia paternum testimonium fidem plenissimè facere præsumitur, & Parentes pro Liberis saluberrimum capere atque fovere reputantur Consilium l. 3. §. 1. ff. de administr. & peric. Tut. & Cur. Fallit tamen si caussa, propter quam Pater Tutorem dedisse videbatur in eô sit mutata; videlicet si ex amicô inimicus, ex divite pauperior fuerit effectus, ut loquitur JCtus Modestinus l. 4. ff. de test. tut. l. 8. ff. de confirm. Tut. aut si Pater per ignorantiam constituerit Tutorem, quem falsò putaverat ad Tutelæ officium esse idoneum. Major quippe ratio habetur utilitatis pupilli quàm voluntatis paternæ l. penult. ff. de confirm. Tut.

1333.

1334.

Atque ità confirmatus Tu tor, licet non negemus ei magnam cum dativò intercedere Cognationem, testamentario rectè accensetur: quoniam Prætor defuncti confirmat non suum sequitur Judicium *l.32.ff de Extruf. Vid. Dn. Ludvvell. disp.3.th.2.Lit. C.* quia præfertur legitimo *l.1.l.2.l.3.ff.de confirm.Tut.* quia præcedit in Tutelâ Matrem & aviam *Nov.118.c.5.*

Constituit Testamento Pater Liberis cujuscunque sexûs Tutores, & vel nepotes sint, modò post mortem avi in alterius potestatem non recusari §. *2. Inst. de Tut. l.* 1. §. *1.ff.de testam.Tut.* vel postumi, quia in favorabilibus commodum spectatur personæ, & quoties de Commodis postumorum agitur, pro jàm natis haberi solent §.4. *Inst.de Tut.l.7.l.26.ff.de statu hom.* vel instituti vel exheredati *l.10.§.2.l.31.ff.de test.tut.* quia etiam exheredati Liberi sunt sui nec exheredatione patria dissolvitur potestas *pr. & §.4. Inst.de pupill.substit.Vid. Treutl.vol.11.disp 8 th.1.Lit.B.*

Impuberes etiam sint necesse est quibus dantur Tutores. Pubertate enim Tutela finitur. *princ. Inst. quib. mod. tut. fin.*

Modus denique & forma testamentariæ tutelæ est Testamentum ipsum *princ. tit. tot.ff.de testam.Tut.l.1. §.1.ff.de confirm. Tut.* non Epistola, non Codicilli, nisi testamento sint roborati & confirmati *l.3 ff de test.tut.*

V. Dari Testamento potest Tutor quivis cum quô Testamenti est factio, nec interest an sit Pater, an filius fam. an Servus, proprius, an alienus, proprius tamen pure, alienus tantùm conditionatè si manumittatur.

Vidimus qui Tutores possint constituere Testamento, superest, ut perpendamus etiam, qui possint constitui. Dicimus nos omnes posse quibuscum est Testamenti factio *l.21.ff.de test.*

test.tut. nec cum illis tantùm est Testamenti factio, qui ipsi queunt facere Testamentum; sed etiam cum illis, qui aliquid ex eô possunt percipere. Hæc factio vocatur passiva illa activa.

Etiam furiosi ac minores dari possunt, quod tamen intelligitur, quando hi 25. annos compleverint, illi resipuerint. *§.2. Inst. qui Test. Tut. dar. poss. l.11. ff. de Tut.* Alias enim, qui seipsum regere non valet, quod in furiosis & minoribus, quorum fragile & infirmum est Judicium ad hùc *l.1 ff. de minor. 25. ann.* usuvenit quomodò alios regere valeret? Interea verò donec major effectus fuerit minor, vel donec sanitatem mentis recuperàt furiosus quis pupillum tueri debeat controvertitur? Nos nec Curatorem admittimus, nec Tutorem legitimum, sed statuimus esse interim dativum præficiendum pupill. *per l.11. ff. de test. tut.* quia quamdiù speratur testamentaria tutela, ut hîc in furiosi & minoris personâ, locus non relinquitur legitimæ *d.l.11. ff. de test. tut.* Servus etiam proprius rectè constituitur Testamento Tutor vel adjectâ vel omissa mentione Libertatis. Utroque enim modò cum tutelâ Libertatem consequitur, quia qui voluit consequens, voluisse etiam censetur antecedens. Servus quippè quâ talis inutiliter datur, ut posteà dicemus. Restringitur tamen, nisi error intervenerit. *§. 1. Inst. qui test. Tut. dar. poss.* & Libertatem quidem consequitur non fidei commissariam, sed directam per *d. §. eod.* nisi Testamentum fuerit imperfectum aut Epistolâ, aut Codicillis, aut verbis precariis concepta datio. Tunc enim ex caussâ fidei commissi manumissus putatur & à Magistratu est confirmãdus. *l. 1. C. de confirm. Tut.*

Alienos præterea servos utiliter posse dari condicionatè tamen si manumittantur *d. §. 1. Inst. qui Test. Tut. dar. poss. & l. 10. ff. de test tut.* docent.

VI. Dari Testamento Tutor potest ad certum Tempus, sub Conditione, ante Heredis

1336.

Heredis institutionem, certæ tamen rei vel caussæ nequit.

Ad certum tempus & sub Conditione dari utiliter potest Tutor §. 2. *Inst qui Test. Tut. dar. poss. l. 8. §. 2. ff. de testam. Tut.* Potest enim finitô tempore vel pendente Conditione Pupillo præfici dativus *l. 11. ff. de test. tut.* & ante Heredis institutionem §. 2. *Inst. qui Test. Tut. dar. poss.* Certæ tamen rei vel caussæ datio non subsistit. *l. 12. l. 13. ff. de test. tut.* quia Tutor personæ principaliter datur non rei vel caussæ *l. 4. l. 14. ff. de testam. tut.* quod fallit si latè diffusa sint Pupilli bona *l. 15. ff. de test. Tut.*

Et hi quidem constitui possunt; breviter etiam exponere animus est, quibus prohibeatur Tutelæ gestio. Prohibentur servi quâ tales & dùm sunt tales *l. 7. C. qui dat. Tut. poss. vel non.* Furiosi dùm sunt in furore *§. 2. Inst. qui Test. fac. poss.* Minores 25. annis *d. §.* Muti & surdi, quia ob ea vitia Autoritate carent, quæ tamen cum primis requiritur *l. 1. §. 1. ff. de Tut.* Fœminæ regulariter, quia Tutela est munus publicum *tot. t. ff. de Excus.* munus masculorum *l. 16. ff. de Tut. l. 2. ff. de reg. Jur.* & ultrà fœminei sexùs infirmitatem Tutelæ est Officium *l. 1. C. quand. mul. tut. Offic. fung. pot.* Excipitur tamen mater & avia, hæc si interveniant, ut polliceantur, se non ad altera vota transvolaturas, omnibus bonis suis caveant, juvent: se facturas quæ utilia videbuntur pupillo, inutilia prætermissuras, tunc Tutrices constituuntur adeô, ut etiam legititimis & dativis anteferantur. *Auth. Matri & avia C. quand. mul Tut. Offic. fung. pot.*

Legitima VII. Legitima est, quæ cessante testamentariâ ab ipsâ Lege proximis Pupilli successoribus defertur. Estque vel agnatorum & Cognatorum vel Patronorum vel Parentum, vel fratrum, sive fiduciaria Tutela.

Distin-

1337.

Distingui etiam aliàs solet legitima tutela à causâ efficiente in verè legitimam & quasi. Verè legitima vel ex verbis Legis XII. Tabb. vel ex benignâ Legis interpretatione defertur. Ex verbis descendit Tutela agnatorum, ex ratione seu interpretatione Patronorum in Libertos impuberes, vel Parentum in Liberos impuberes emancipatos, vel fratrum in fratres impuberes emancipatos, quæ peculiari nomine appellatur fiduciaria.

Legitima Locum habet, quando cessat vel deficit testamentaria. Deficere autem testamentaria censetur cum Pater aut prorsus Testamentum non fecit, aut quod ad tutelam tantùm pertinet intestatus decessit, aut testamentarius pupillo adhùc impubere manente mortuus fuerit. *§.2. Inst. de legit. agn. Tut. l.6. ff. de legit. Tut. Schneidvv. ad princ. Inst. de legit. agnat. Tutel.*

Proximis pupilli successoribus defertur legitima, quia naturali æquitati videtur consentaneum, eum sequi onera & incommoda, qui percepturus est commoda. *l.10. ff. de reg. Jur.* Et ubi successionis est Emolumentum ibi tutelæ onus esse debet *sub fin. Instit. de legit. Patron. Tut.* Proximi verò spem habent successionis & Hereditatis.

Agnati dicuntur, qui per virilis sexûs Cognationem sunt conjuncti quasi à Patre cognati *§. 1. Inst. de legit. agn. tut. l. 7. ff. de leg. Tut.* Cognati qui per fœminini sexûs Cognationem sunt conjuncti *d. §. 1. eod.* Et Jure quidem antiquiori non competebat Tutela legitima Cognatis, sed tantùm agnatis *princ. d. t.* & *princ. ff. de legit. Tut.* Jure autem noviori id correctum est per *Nov. 118 c. 5.* in quà sublatum prorsus discrimen agnationis & Cognationis in tantùm ut hodiè & agnatis & cognatis tàm tutela quàm successio deferatur. *d. Nov. 118. c. 5. Auth. sicut Hered. C. de legit. Hered.* propinqui tamen remotioribus præferuntur *§. fin. Inst. de Cap. deminut.* An legitima hæc agnatorum Tutela in Electorum personis exulare faciat testamentariam eique præferatur non absque Controversiâ est? Nos affirmamus &

dici-

1338.

dicimus; proximum agnatorum necesse habere Tutelam in se suscipere, donec annum 18. compleverit illustris Pupillus *per cap.7.aureaBull.Imp.Carol.IV.*

Ex interpretatione vel sententiâ Legis XII. Tabb. propter identitatem rationis constituuntur Patroni Tutores in Libertos Libertasque impuberes. Cum Lex enim Patronos expressè vocet ad successionem in bonis Liberti, tacitè eosdem etiam vocare ad tutelam Libertorum Libertarumve impuberum censetur, quia ubi successionis est Emolumentum, ibi tutelæ onus esse debet. *Sub fin. Inst. de legit. Patron. tut.* Vocatur Tutela legitima propterea quoniam ex legibus non id solummodò dicitur esse, quod verbis Legum expressis continetur; Verùm etiam id quod ex earum sententiâ elicitur *l. 6. §. 1. ff. de V. S.*

Patronorum Tutelam excipit & Parentum, quæ exemplo Patronorum non ex verbis Legis XII. Tabb. sed interpretatione in Liberos antè pubertatem emancipatos constituta est. Emancipatione enim à patriâ dimissi potestate veluti servi manumittebantur *§.6 Inst. quib. mod. Jus patr. potest. solv.* Parentes etiam Liberis emancipatis succedunt quasi Patroni *§. ult. Iost de legit. agn. Success.* Et ad eorum impuberum tutelam vocantur, *d. §. in fin.* & fratrum, quæ peculiari nomine vocatur fiduciaria, & defunctô Patre, qui Liberorum impuberum emancipatorum Tutelam gesserat, defertur fratribus. *Inst. de fiduc. Tut. & l. 4. ff. de legit. Tut.* Quia enim de Jure veteri fratres fratribus emancipatis non succedebant, ideò nec tutelæ onus penes eos poterat esse; verum quoniam lex propter sanguinis Conjunctionem confidebat fideliores fore fratres in tutelâ fratris impuberis gerendâ extraneis, illos ad fiduciariam Tutelam vocabat. Tenendum verò hodiè hanc Tutelam in desuetudinem abiisse prorsus, quia hodiè Pater Liberis sive emancipatis, sive in potestate ejus constitutis, & fratres fratribus emancipatis succedunt, & tanquam agnati aut cognati ad tutelam vocantur *Nov. 118. cap. 5.*

VIII

VIII. Dativa est quam cessante testamentariâ & legitimâ Magistratus ad Matris vel proximorum Consanguineorum Petitionem constituit.

Tutela dativa Locum habere nequit, nisi vel nullus fuerit testamento constitutus aut à Lege datus Tutor *princ. Inst. de Attil. Tut.* vel est quidem; sed aut ob vitium Corporis, aut quod Conditio nondùm fuerit adimpleta *§. 1. Inst. d. tit. l. 11. ff. de test. tut.* aut in hostium sit potestate *§. 2. Inst. d. tit.* tutelam gerere prohibetur.

Prisciori quidem Jure receptum erat atque statutum, ut daretur Tutor in Urbe à Prætore Urbano & majore parte Tribunorum plebis ex Lege Attiliâ, in provinciis à Præsidibus Provinciarum ex Lege Juliâ & Titiâ *princ. Inst. de Attil. Tut.* Verùm noviori Jure ex Constitutione Sacrat. Imperat. Justinian. quilibet Magistratus competens, cui nimirùm id à Lege permissum est vel SCtô Tutores rectè dat, non tamen Jure Magistratûs; sed nudâ Legis Concessione *princ. Inst. de Attil. Tut.* Omnes scilicet Defensores Civitatum cum Antistite religiosissimo vel JCtô, legitimâ tamen interveniente cautione *l. 30. C. de Episc. aud §. 5. Inst. de Attil. Tut.* Ex Legis dicimus Concessione. Tutoris enim datio neque Jurisdictionis est neque Imperii; sed cui id nominatim dedit vel concessit Lex, sive Senatusconsultum, sive Princeps. *l. 6. §. 2. ff. de Tutel.* Distinguunt quidam inter Jurisdictionem & ordinariam quidem ipsimet rejiciunt, extraordinariæ verò Tutelæ adscribunt Dationem. Ast cum Imperator omnem omninò & indistinctè removeat Jurisdictionem; sententiam nostram *dict. l. 6. §. 2 ff. de tutel.* stabilitatam retinemus meritò cum *Treutl. vol. 11. diss. VIII. th. 1. Lit. E.*

Mater & proximi Consanguinei hôc casu necesse habent petere infrà anni decursum à Judice pupillo Tutores idoneos,

quod

1340.

quod nisi fecerint omnis eis sive ab intestatò, sive substitutionis Jure, si impubes decesserit pupillus, deneganda est successio per *l.10. C. de legit. Hered.* nisi minor ætate sit Mater, quia in majoribus matribus hoc tantùm modò obtinet. *l.2. C. si adverf. delict.*

IX. Dari qui Testamento Tutores etiam à Magistratu competente possunt omnes, non Creditores aut Debitores Pupilli, non Servus, non ipse Judex &c.

Qui testamentô posint constitui Tutores jam antè pertractavimus, nunc etiam dispiciendũ, qui à Judice vel Magistratu posint. Dicimus nos omnes posse dari, qui Testamentô, ut Patres, filiifamilias; necessum tamen est, ut Jurisdictioni dantis subjaceant *l.1. l.3. ff. de Tut. & Cur. dat.* ab his. Jurisdictionem enim extrà districtum suum exercenti impunè non parerur *l. fin. ff. de Jurisd.* Non Creditor aut debitor Pupilli. Licet enim hi testamentô posint dari, cum fides eorum à Testatore ipsô approbata reputetur atque omnis doli suspicio semota *princ. Inst. de Satisd. Tut. & Cur.* à Judice tamen inutiliter dantur *Auth. Minoris C. qui dare Tut.*

Non Servus *l. 7. C. qui dar. Tut. poss.* quia is eos tantùm potest constituere cum manumissione, eos in potestate qui habet. In Magistratûs igitur & Judicis Potestate cùm non sint, nec ei Jus manumittendi & Tutoris per hoc constituendi competit.

Non Magistratus vel Judex ipse *l. 4. ff. de Tutor. & Cur. dat.*

Non mutus vel surdus, quia Autoritatem præbere non

non possunt, quæ in Tutore requiritur. *l. 1. §. 1. ff. de Tutel.* 1341.

Non mulieres regulariter, quia Tutela virile est Officium *l. fin. ff. de tutel.*

Non minores 25. annis *l. final. C. de legit. Tut.*

X. Tutores autem omnes Autoritatem pupillo accommodare necesse habent, quæ necessaria est in iis Caussis, ex quibus Pupilli Conditio fieri potest deterior, non quibus melior.

Diximus quid sit tutela, quot ponantur ejusdem species, nunc ad autoritatem, quam Tutor interponere solet, delabimur. Est autem Autoritas Tutoris expressa approbatio negotii illius, quod inter pupillum & extraneum geritur *l. 3. ff. de Autor. Tut. & Cur.* & Autoritatem præstare nihil est aliud, quàm probare id quod agitur. *l. 3 ff. eod.* Sciendum obiter, quod Autoritas proptiè competat Tutoribus Consensus Curatoribus.

Necessaria est Tutoris Autoritas in iis caussis, quibus deterior reddi potest Conditio pupilli, puta in his caussis, ex quibus Obligationes mutuæ nascuntur, Emptionibus, Venditionibus, Locationibus &c. Neque enim Hereditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neque fidei commissum valet suscipere absque Tutoris Autoritate. Licet enim res sint lucrosæ; oneribus tamen atque Obligationibus implicari posset pupillus facilè *princ. & §. 1. Inst. de Autor. Tutel.* Sin verò contigerit, ut Contractum cum quôquam celebret; is, qui cum impubere contraxit, obligatur quidem; sed non pupillus *princ. Inst. de Aut. Tut. l. 7. §. 1 ff. de rescind. Vendit.* quod procedit

1342.

in tantùm ut ne naturaliter quidem possit obligari *l.59. ff. de Oblig. & action. l.41. ff. de Condict. in deb. l. 1. §. 2. ff. de Constit. pecun.* quia plenus & integer Consensus ad omnem Obligationem requiritur, qui in Pupillò non deprehenditur, & quia meliorem quidem reddere potest suam Conditionem non autem deteriorem *princ. Inst. de autor. Tut.* Favorabilis enim est pupillorum persona. Limitatur tamen hæc regula, & materialiter eum posse obligari certis autumamus Casibus: Si factus sit locupletior pupillus *l.5. §.1. ff. de Autor. & Cons. Tut. & Cor. l.47. ff. de solut. l.6. ff. de negot. gest.* quia nemo cum alterius damno fieri debet locupletior *l.206. ff. de reg. Jur.* si dolum commiserit *l.1. §.15. ff. Deposit. l.9. §.2. ff. de minorib. 25. ann.*

Forma Autoritatis Tutoriæ consistit in his, ut ipsô statim negotiô non post tempus autoritatem suam interponat Tutor; ut præsens sit: per Epistolam enim vel Nuncium interposita Autoritas nihil agit. *§.2. Inst. de Autor. Tutel. l.9. ff. de Autor. Tut. & Cur.* ut purè non sub conditione fiat Autor. *l.8. ff. de Autor. Tut. & Cur.* maturo enim Judicio debet interponi Autoritas Tutoris; ut disertè & expressis verbis Autoritatem præstet. *l.3. ff. d. tit.* Sola enim Præsentia & Taciturnitas Tutoris non sufficit *l. 1. ff. de tut.* ubi mutus excluditur à Tutelâ ob eam rationem, quia non possit præstare Autoritatem. Est igitur de essentiâ Præstationis Autoritatis sermo.

XI. Finit Tutelam Pubertas, mors, deminutio Capitis, Adventus Conditionis vel diei.

Finiri statuimus Tutelam pubertate, quam veteres Romani non solùm ex Annis; sed etiam ex Habitu Corporis æstimari volebant *princ. Inst. quib. mod. tut. finit.* Verùm Sacratiss. Imperator cùm id parùm castè institutum arbitraretur,

tur, quod in fœminis impudicum videbatur, etiam ad masculos extendit, & prohibitâ turpi hâc inspectione Corporis definivit pubertatem in masculis post decimum quartum annum, in fœmellis post duodecimum annum completum. *princ. Inst. quib. mod. tut. fin. l. fin. C. quando Tutel. aut. Cur. esse des.*

Morte etiam naturali non tantùm pupilli; sed etiam Tutoris tutela finitur *§. 7. Inst. quib. mod. tut. fin.* quia tutela personale quoddam munus est *l. 16 ff. de tut. l. ult. §. 1. ff. de muner. & honorib.* Inceptam autem tutelam â defunctò Heres ejus, si masculus & legitimæ sit ætatis explicare tenetur *l. 1. ff. de fide-juss. & nominat. & Hered. Tut. & Cur.*

Deminutione item capitis, Pupilli quidem quâvis §. 1. *Inst. quib. mod. tut. finit. l. 14. ff. de tut.* Tutoris maximâ & mediâ tantùm, minimâ nequaquàm tutela perit: interim legitimam tutelam & minima Capitis deminutio Jure ffitorum tollit. *l. 14. ff. de tut. l. 7. ff. de Cap. minut.* quia agnatio minimâ Capitis deminutione perit *§. fin. Inst. de legit. agn. tut.* Postmodùm autem id sustulit D. Justinianus, adeò ut hodiè sublatô cognationis agnationisque discrimine nulla tutela per minimam Capitis deminutionem perimatur atque tollatur *Nov. 118. c. 4.* De transfugâ verò nùm is maneat Tutor, dubitatur? Nos subscribimus negativæ per *§. 4. Inst. quib. mod. tut. fin.* rationem damus illam, quia Civitatem amittit & mediam patitur Capitis deminutionem *l. 5. §. 1. ff. de cap. minut.* nisi fortè bono animo atque maturo Consilio ad exploranda hostium Castra transfugerit. *l. 15. ff. de tutel.* Adventu tandem Conditionis aut diei tutela expirat §. 5. *Instit. quib. mod. tutel. finit l. 14. §. 3. ff. de tut. l. 8. § 2. ff. de test. m. Tut.* Limitata enim Caussa limitatum producit Effectum.

Integrum

1344

Integrum demùm cuilibet est justâ Excusatione à suis cervicibus amoliri gravissimum Tutelæ onus; atque interdùm etiam remotione suspecti Tutelæ perimuntur; verùm cùm nostri instituti haud fuerit Jus, quod Curatoribus cum Tutoribus est commune, hîc Loci intermiscere, exequi id supersedebimus, & pedem placidè figemus.

TANTUM.

Ad Præstantissimum Dn. Respondentem
DISPUTATIONIS AUTOREM.

PErge tuo cursu, Patriæque Tibique decoro,
Sic Musis Civem docta corona dabit.

PRÆSES.

Kling-Gebände.

DAs Städt' und Länder blühn/das Menschen Götter werden/
Und heben hoch empor ihr scharffgehirntes Haubt/
Das Billigkeit gehört/und Warheit wird geglaubt/
Daß man von Tugend weis/ so weit mit schnellen Pferden
Der güldne Titan rennt ümb diesen Kreiß der Erden/
Das frommen Sitten wird ihr freyer Gang erlaubt/
Macht der Astreen Kunst. Wol dem/ der nicht beraubt
Ist ihrer Wissenschafft/der kan sich recht geberden
Vor GOtt und vor der Welt! Die hat dir auch beliebt/
Herr Fersch/daß du sie hast durch wachen Fleiß geübt/
Du kanst so auff den Nutz des Vaterlandes zielen/
Und wirst bey Leuten dich recht machen lib und werth.
Wenn von dir Hülff und Rath wird werden herbegehrt/
So wird die Vnschuld Schutz/das Laster Straffe fühlen.

Dieses setzet aus Wolgewogenheit seinem geehrten
Herren Stuben- und Tischgenossen auff

Zacharias Herrmann/ der
Rechte Beflissener.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614621-p0022-9

ULB Halle 3
003 499 650

Slb

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614621-p0023-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614621-p0024-1

1346.
1653 18
16

IS

ndis

agnifici

ntißimi

TTERI,

imi Curiæ

Juridicæ

ſervantiæ

S, Sil.

---

ogr.

43.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-614621-p0025-6